



Ioannes Vuidelin Gerspach oppido Marchio-
num Badensium natus & honestè educatus fuit.
Is cū felici ingenio esset præditus, bonis literis ope-
ram dedit, & mediocrem eruditionem sibi compa-
rauit. Vt autē commodius pietati & studijs incum-
bere possēt, Hirsautense monasterium intrauit, atq;
Benedictinorum ordinē suscepit. Ibi cum modestè
ageret, custos monasterij constituitur. postea uerò
Prior in Richēbach ordinatur. In eo loco cum suis
uirtutibus luceret, atq; Ioannes Vuil ultimus ex no-
bilitate abbas in Schutterē (sub quo monasterium
reformatū erat) obiisset, hic Ioannes primus ex ple-
beis eius loci abbas electus est 1492. Erat monaste-
rium illud iam olim in Brisgauria ab Offone principe & S. Pirminio fundatū,

deinde à Dagoberto & S. Arbogasto auctum, atq; tandem à S. Heinricho Im-
peratore & Eberhardo primo Episcopo Bamburgense restauratum. Vnde
etiam eo tempore Bamburgensi Ecclesiæ coniunctum fuit, à qua etiam nū hu-
ius loci abbates suum feudum recipiunt. Cum itaq; Ioannes eam abbatiam su-
scipisset, reformationē prius cœptam perfecit, atq; eius loci fratribus melio-
rem uiuendi rationem præscripsit. ipse quoq; studijs incubuit, bibliothecam
parauit, libros plurimos pulchrè depingi curauit, atq; monasteriū ruinosum
multis ædificijs restaurauit, ita ut eius monasterij incolis esset gratissī-
mus, Cum hoc modo per 18 annos rebus præfuisset, anno 1510 o-
biit, & in suo monasterio sepultus quiescit, Anon.